OBSERVATIONES

DE

ANTIMONIO

EJUSQUE USU

IN MORBIS CURANDIS.

OBSERVATIONES

DE

ANTIMONIO

EJUSQUE USU

IN MORBIS CURANDIS.

AUCTORE

GULIELMO SAUNDERS, M. D.

ET

NOSOCOMII A THOM. GUY, ARMIGER.

INSTITUTI, MEDICO.

LONDINI:

APUD J. WHISTON, ET E. ET C. DILLY.

M DCC LXXIII.

DE

ANTIMONIO.

IN Antimonio perſcrutando diu et multum laborarunt tum Chemici, tum Medici, et de ejus in medicina uſu, variae hinc inde lites agitatae ſunt. Paulum fortaſſe de laudibus quibus Chemici Antimonium cumularunt detrahendum eſt; ſunt tamen pauci omnino Medici qui id eximiae virtutis eſſe non exiſtimant, et me in eo diligenter exquirendo operam collocaſſe omnes probaturos confido.

De viribus Antimonii medicis, et quomodo in uſus medicos optime parari poſſit, dicere conatus ſum; praemiſſis, ex ejus hiſtoria naturali et chemica, iis tantum, quae ad tractationem pharmaceuticam maxime pertinent.

PARS PRIMA.

Historia Antimonii naturalis.

Antimonium apud antiquos parum videtur cognitum fuiſſe, Graecis forte Στιμμι, Latinis *Stibium*, Arabicis *Atemad*, nuncupatum.

In ſeculis rudioribus Arabum tempora mox inſecutis ob rationes parum cognitas

cognitas, ANTIMONII nomen occupavit, quod aevo etiam recentiore, et huc uſque, vulgo retinuit.

HAEC nomina ſunt minerae cuidam metallicae impoſita, ſed ex hiſtoria chemica inferius tradenda patebit, in hac minera ANTIMONIUM CRUDUM appellata, latere ſui generis ſemimetallum, cui vulgo REGULO Antimonii nomen eſt.

HOCCE ſemimetallum ſive Regulus, ſicut et in pleriſque aliis hujuſmodi corporibus accidit, raro purum, et aliis foſſilibus non commiſtum, in terræ viſceribus occurrit; purum vero in compluribus locis inveniri poſſe veriſimile videtur. (*a*) Vir enim rei phyſicae, che-

(*a*) Academia Regia Stockholmenſis, tom. x. anno 1748.

micaeque peritiſſimus, ANTONIUS SWAB, in Scandinaviae fodinis idem reperit, ut obſervare liquet ex iis, quae cum academia phyſicorum Holmienſi communicavit. Experimenta enim ab eo prolata ſatis oſtendunt, quod in Salhbergae fodinis invenerat, fuiſſe corpus metallicum, cum parva admodum arſenici copia conjuncta, ſed adeo longe a ſtatu minerae Antimonii abfuiſſe, ut ſtatim e viſceribus terrae effoſſum, qualitates pleraſque oſtenderit, quas in Regulo arte parato, et ab omnibus aliis quibus vulgo adhereat, ſeparato, obſervamus.

CUM vero Antimonium ſic repertum, pyritem arſenicalem quodammodo mentiatur, ſuſpicari licet rerum naturalium

inveſti-

inveſtigatores ſpeciei ſimilitudine deceptos, hunc pro illo ſaepe falſo habuiſſe; nec ideo, ubi inventum fuit, loca notaſſe. Utcunque ſit, ita ſaepius fuiſſe productum, vix putandum eſt. Certe in minerae ſtatu (hoc eſt, ſulphure commiſtum) in regionibus Europae compluribus vulgo occurrit.

MINERAE Antimonii in bina omnino genera, MINERAM NEMPE PROPRIAM ET IMPROPRIAM, apte diſcriminari poſſunt; in priori Antimonium ſolum cum ſulphure commiſcetur, poſteriori autem alia etiam metalla conjunguntur.

MINERAE ANTIMONII PROPRIAE duae iterum ſpecies ſunt, ſtructurae

quidem conſimilis, ſed caetera diſcrepantes.

ALTERA longe vulgatior eſt, et in ea Antimonium, cum ſulphure fere ſolo, ſaltem parva admodum et vix diſcernenda arſenici copia, adjuncta, commiſtum reperitur. Colore obſcure plumbeo cum particulis quibuſdam nitentibus innoteſcit. Structura autem variat; plerumque quidem ex fibris (*a*) conſtat, magis minuſve tenuibus, vel ordine magis (*b*) minuſve (*c*) regu-

(*a*) Antimonium ſulphure mineraliſatum ſtriatum, Waller. ſp. 238.

Stibium ſtriatum Linn. ſyſt. nat. g. 22. ſp. 2.

(*b*) Minera Antimonii ſtriata ſtriis parallelis, Waller. ſp. 238. Var. 1.

(*c*) Minera Antimonii ſtriata, ſtriis ſparſis inordinatis vel decuſſantibus, Waller. ſp. 238. Var. 2.

lari

lari contextis. Interdum tamen fibrae minus conſpicuae, et maſſa univerſa magis compacta et ſolida (*a*) eſt. Nonnunquam partes hujus ſingulae in figuras priſmaticas et pyramidales (*b*) formantur, poſteriorum apicibus in centrum commune coëuntibus.

Species altera minerae Antimonii propriae ea eſt in qua cum ſulphure et arſenico ſimul conjungitur. Hujus ſpeciei color ſubruber (*c*), ſtructura autem ſimilis prioris eſt.

(*a*) Antimonium ſulphure mineraliſatum, minera difformi, ſolida, livido-fuſca, Waller. ſp. 240.

(*b*) Antimonium ſulphure mineraliſatum, cryſtalliſatum, Waller. ſp. 241.

Stibium cryſtallinum, Linn. g. 22. ſp. 3.

(*c*) Antimonium ſulphure et arſenico mineraliſatum, rubrum, Waller. ſp. 242.

Stibium rubrum, Linn g. 22 ſp. 5.

Minerarum Antimonii minus propriarum tria exſtant exempla; in primo, cum argento ſolo (*a*), in altero, cum argento et cupro (*b*), in tertio, denique, cum argento et plumbo (*c*) Antimonium confunditur.

Hae autem minerae precipue propriae e quibus metallum vulgo ſeparatur, matricibus lapideis diverſis adhaerentes, inveniuntur.

(*a*) Argentum Antimonio ſulphurato mineraliſatum, Cronſtedt. § 173.

(*b*) Argentum cupro et Antimonio ſulphurato mineraliſatum, Cronſtedt. § 174.

(*c*) Plumbum Antimonio et argento ſulphurato mineraliſatum, Cronſtedt. § 190.

PARS SECUNDA.

Historia Antimonii Chemica.

CAPUT I.

De Antimonii Crudo.

CUM Antimonium, ſicut mox diximus, corporibus lapideis aut terrenis vulgo adhaereat, id primo agendum eſt ut minera ab hiſce ſeparetur. Hanc ſeparationem perficit eliquatio, quam auctores (*a*) tam vulgo deſcripſerunt, ut hic loci exponere ſupervacaneum eſſet.

Minera ita purgata nomine Antimonii Crudi donatur: in officinis noſtris

(*a*) Crameri ars docimaſtica, P. 2. p. 261.

in

in maſſi figurae conicae et ſtructurae ſemper fibroſae comparet.

Gravitate (*a*) ea ſpecifica plerumque conſtat quae ad aquae eſt ut 4700 ad 1000; haecce autem ratio, pro diverſis fodinis e quibus comparatur, diverſimode variat, quinimo in diverſis ejuſdem coni partibus quandoque diverſa eſt; partibus nimirum apicem verſus plus ponderantibus.

Antimonium hocce Crudum e materia metallica, quam Regulum dicunt, et ſulphure communi conflari, inter omnes conſtat; obſervandum vero mu-

(*a*) Muſchenbrookii introductio ad philoſophiam naturalem, p. 537.

tuam

tuam harum partium rationem nondum accurate praefinitam esse.

Antimonium Crudum Galliae et Britanniae leni calori ut sulphur exhalet expositum, dimidiam circiter ponderis sui partem amittit, dum Antimonium Hungaricum eodem modo tractatum, tertiam solummodo ponderis sui partem amisisse invenitur. Hoc autem experimentum nequaquam hasce rationes accurate constituit, nam quanquam sulphur ipsum sit quod praecipue exhalat, partis tamen metallicae aliquantulum simul abigitur.

Est et alia ratio qua partium istarum proportio rite determinetur, nempe misturae gravitatem specificam perpendendo,

pendendo, et eam cum partium gravitate ſeparatim explorata comparando. MEUDERUS (*a*) ita rem ſcrutatus eſt, et in Antimonio Crudo Hungarico ſulphur paulo magis quam tertiam totius partem fuiſſe, comperit.

QUANDO idem exploratur ſeparatione partium a ſe invicem, ab adhibitis alkalinis, pars metallica ad dimidium minerae pondus plerumque obtinetur, quamvis ſingulari proceſſu GEOFFROY (*b*) decem fere uncias e ſedecim Antimonii Crudi extraxit.

AT longe accuratiſſime, ut nobis videtur, ratio partium praefinitur, ad-

(*a*) Analyſe de l'Antimoine, § 11.

(*b*) Memoires de l'Acad. Royale pour l'année 1734.

hibitis

hibitis acidis, quibus pars metallica tota a ſulphure ſeparari, et poſtea per praecipitationem et reductionem exacte perpendi poteſt.

Priusquam progrediamur ad tradendas Reguli Antimonii qualitates opus eſt, ut rationum variarum mentionem faciamus per quas a minera ſua ſeparetur, et in ea puritate obtineatur, qua tantum rite examinari licebit. Hae vero rationes primo intuitu admodum variae ſunt, omnes tamen ad bina capita referri poſſunt.

Prima (*a*) eſt cum abſque additamento quovis, et per calcinationem ſolam, Antimonii Crudi ſulphur exhalat, et

(*a*) Cramerii ars docimaſtica, P. 2. p. 263.

materia

materia reſidua cum inflammabilibus fuſa in formam metallicam reducitur. Altera eſt cum per materiam additam partes ſulphureae et metallicae a ſe invicem ſeparantur.

Quod ad proceſſus varios hic neceſſarios, vix operae pretium erit ſingulos referre, qui in ſcriptis chemicis fere omnibus occurrunt; ſatis erit principia quibus nituntur indicare.

Separatio partium Antimonii ſine addito ex eo pendit, quod licet Antimonium igni forti expoſitum totum in auras abigi poſſit, ſi vero igni leniori tractetur, ſulphurea pars primum aufugit, et res ita poteſt tractari, ut haec tota et fere ſola exhalet, dum metallica

in

in ſtatu pulveris et quaſi cineris remaneat. Hic pulvis per ſe fuſus in vitrum abit, et tum calcinatum tum vitrum ex eo factum, cum adjectis inflammabilibus fuſum, in ſtatum metallicum facile tranſit.

Hac methodo Regulus paratus tum copia major, tum purior, quam per alias methodos mox memorandas obtinetur.

Additamenta, quae ad ſeparationem partium Antimonii faciunt, ſunt diverſa, quatenus vel cum ſulphurea vel cum metallica ejus parte conjunguntur, et hanc vel illam altera rejecta ſibi aſſumant. Sulphuream Antimonii partem, rejecta metallica, ſibi aſſumunt

SALIA ALKALINA ET METALLA quaedam.

ALKALI VOLATILE vix quidquam in Antimonium agere experimento ſequenti comperi; Antimonii crudi triti unciis duabus alkalini volatilis liquidi et quam maxime cauſtici uncias quatuor affudi, et vas accuratiſſime obturatum, per quadrihorium in calore aquae bullientis detinui; defuſo per chartam liquore calente, cum refrixerat nihil depoſuiſſe deprehendebatur; liquor autem turbidus apparebat, et ab adjectis acidi guttulis aliquot, grana tria ſulphuris aurati, ut vocant, deponebat.

SALIS ALKALINI FIXI in Antimonium major vis eſt; ſolutus enim et cum Anti-

Antimonio crudo digeſtus et decoctus, cum ſulphure ejus primo coit, et hepar quod vocant conſtituens, ſic tandem partis etiam metallicae ſolvens evadit. Per experimenta Cl. GEOFFROY (*a*) ſatis conſtat, per iteratas lixivii alkalini affuſiones Antimonium totum ſolvi poſſe. Solutum autem omne non niſi caloris ope retinetur, nam ſimul ac liquor refrigeratur, pars ejus, ſpecie pulveris rufeſcentis ad fundum vaſis decidit. Hic eſt qui in officinis KERMES MINERALE appellatur, et ex Regulo Antimonii et hepate ſulphuris conjunctis conſtat. Hac via Antimonium Crudum quidem in parte ſuas non penitus reſolvitur, quodammodo tamen reſolu-

(*a*) Memoires de l'Acad. Royale, pour l'anneé 1734.

tio fit, nam in Kermes minerali ſulphuris copia Regulo conjuncta, minor eſt quam in Antimonio Crudo.

Alio etiam modo ejuſmodi ſeparatio perficitur. Lixivium enim alkalinum cum Antimonio decoctum, Kermes minerali, ut diximus, depoſito, plurimum adhuc Antimonii ſolutum detinet. Huic liquori adjectum acidum quodvis praecipitationem efficit pulveris aurantii coloris, qui chemicis Sulphur auratum audit. Conſtat ex Regulo Antimonii et ſulphure varia proportione conjunctis. Si acidum ut ſolet paulatim adjiciatur, in pulvere qui primum decidit major ineſt metallicae partis proportio. Sed haec perpetuo minor fit donec tandem ſulphur ſolum eſt quod fundum petit.

Per

Per fuſionem tamen ſales alkalini fixi Antimonio Crudo ad ſeparandam partem metallicam meliori effectu adhiberi poſſunt. Si ſalis enim alkalini fixi portio quaedam Antimonio Crudo adjiciatur, et cum eo liqueſcat ſulphuris Antimonii partem protinus arripit et a caeteris divellit, cum ea hepar ſulphuris conſtituens, et cum poſt brevem fuſionem maſſa tota refrigeratur, in duas partes diviſam invenimus; nempe ſuperius, pars Antimonii et praeſertim ſulphurea cum ſale alkalino commiſta in modum ſcoriae, dum inferius, caeterum Antimonium ſulphure pro parte orbatum, invenitur. Haec diverſimode pro quantitate ſalis alkalini adjecti fiunt. Si quantitas enim modica et non major quam ſexta pars

Antimonii fuerit, pars tantum ſulphuris exinde ſeparatur, et in ſcoriam tranſit, dum quod ſubjacet eſt maſſa rubicunda, maximam adhuc ſulphuris partem, et totum Regulum continens. Eſt quod in officinis pharmaceuticis Regulus Antimonii Medicinalis appellatur.

Si vero ſal alkalinus majori proportione, et ea quae ſufficiat ad totum ſulphur ſolvendum, adjiciatur, hoc totum in ſcorias tranſit, dum Regulus utcunque purus ad fundum ſubſidet. Hoc modo metallica pars Antimonii a ſulphurea quidem ſeparatur, ſed non omnis; nam hepar ſulphuris quod ſub hac operatione exſurgit Regulum Antimonii ſolvit, et hujus ideo pars etiam cum hepate in ſcoriam tranſit. Hac via

Regulus

Regulus Antimonii Simplex, ut vocatur, in uſus medicos paratur, et proceſſus ſatis idoneus evadit, ſed Regulus purior adhuc fieri poteſt, ſi ad exemplum egregii (*a*) Marggraffii iterum et ſaepius cum adjecto ſale alkalino fundatur. Quamvis autem partis metallicae portio a ſulphure pura, ſeorſum methodo deſcripta obtineri poſſit, obſervandum tamen eſt, nec totam nec copia aeque larga ac per alios proceſſus eam obtineri poſſe.

Si ſcoriae, quae ex hac operatione oriuntur, in aquam conjiciantur, et cum ea ſimul coquantur, per calorem aquae bullientis omnino fere ſolvuntur. Si

(*a*) Opuſcles chymiques, Vol. II. p. 421.

vero ſolutio refrigeretur, ſoluti plurimum ad fundum ſubſidet, quod idem eſt ac Kermes Minerale ſupra memoratum; et ſi ſolutioni reſiduæ addatur acidum, ſubſidet præcipitatum prorſus ſimile ei quod titulo Sulphuris Aurati donari ſupra diximus; et ad hunc modum Sulphur Auratum in uſus medicinae plerumque paratur.

In alkalini fixi ad Antimonium applicatione parum referre putamus, an alkali vegetabile an foſſile, an vero utriuſque varietates diverſae adhibeantur. Calcem vivam quoque pro alkali fixi ſpecie habemus, et ab ejus ad Antimonium applicatione eadem quae ab aliis alkalini fixi ſpeciebus fieri, arbitramur.

NITRUM etiam Antimonio Crudo applicatum, idem fere ac ſal alkalinus fixus praeſtat. Cum vero alii ſimul ex acido nitri effectus oriuntur, opus erit ut nitri in Antimonium actionem ſpeciatim et ſeorſum conſideremus.

CUM nitri portio Antimonio igni expoſito adjiciatur, acidum nitri cum ſulphuris phlogiſto protinus ſociatur, et hi conjuncti in fumum abeunt, dum reſiduum nitri alkalinum cum ſulphuris acido conſociatum, SAL POLYCHRESTUM, vel, ut vocant, NITRUM STIBIATUM conſtituit. Hac igitur ratione ſulphuris portio ab Antimonio Crudo ſeparatur, et ſi parva tantum nitri copia adhibita ſit, maſſa ſcoriis ſubjacens ejuſdem omnino ſpeciei et indolis eſt, ac

Regulus Medicinalis ſupra memoratus. Adaucta vero nitri copia, Antimonii ſulphur eadem proportione abſtrahitur, et quo magis ſulphuris abſtractio fit, eo maſſa reſidua facilius et promptius ab acidis vegetabilibus ſolvitur; ſaltem quamdiu nitri copia haud major fuerit, quam quae ad ſulphur abſtrahendum ſuffecerit. Quando nitrum aequali cum Antimonio pondere adhibetur, ſulphur fere totum aufertur, et ſimul pars regulina calcinatur, et in vitri ſpeciem funditur, quod in officinis noſtris CROCUS METALLORUM audit.

Ab nitro viis modo dictis adhibito, Antimonii crudi partes quodammodo a ſe invicem ſeparantur, ſed hoc modo purae non obtinentur, ſulphuris partes enim

enim cum partibus nitri, ut diximus, ſociantur, et Regulus, pro varia nitri quantitate adhibita, vario ſtatu ſubſiſtit. Cum nitrum Antimonio aequa tantum portione commiſcetur, ſulphur Antimonii ad acidum nitri omne in auras abigendum, ſufficere videtur. Sed ſi majori proportione adjiciatur nitrum, acidum ejus non totum aufertur; quod ſupereſt Regulo Antimonii applicatur, et hujus phlogiſton arripiens, cum eo tandem exhalat, relicto Regulo phlogiſto ſpoliato, et ideo calciformi. Si nitrum ad duplum Antimonii, vel paulo plus, addatur, Regulus totus in calcem mutatur, quae ab acido nullo ſolvi poteſt, et vulgo nota eſt ſub nomine ANTIMONII DIAPHORETICI; CALCEM ANTIMONII vocant Londinenſes.

AD

Ad ſeparationem partium Antimonii crudi a ſe invicem, et ad Antimonium varie mutandum, quid faciunt alkalina varia et nitrum, hactenus diximus; cum varia METALLICA ad eandem ſeparationem faciant, de iis nunc dicendum eſt.

Cum Biſmuthum, Argentum, Stannum, Cuprum, et Ferrum, facile cum ſulphure coire poſſunt, et id fortius quam Regulus Antimonii attrahant, ſi illorum quidvis, ex. gr. ferrum, cum Antimonio crudo fundatur, Antimonii ſulphur arripit, et cum hoc in ſcoriam mutatur, dum Regulus ſpecie metallica ſeorſum ſubſidet. Cum Regulus, ut vulgo ſolet, ferro paratur, Regulus Antimonii martialis audit; et ſi ferrum,

ferrum, ea tantum copia quae ad ſulphur abſtrahendum ſufficiat, adhibeatur, Regulus ſatis purus, et a Regulo Simplice, quod vocant, vix diverſus evadit.

Hactenus de ſeparatione partium Antimonii crudi per ea quae cum ejuſdem ſulphure praecipue conſociantur, diximus, et nunc de eadem facienda per ea quae cum Regulo coëunt dicendum.

Ea quae in ſulphur Antimonii nullam omnino vim exſerunt, ſed cum Regulo facile coëunt, ſunt praecipue acidorum variae ſpecies, et cum acida Regulum fortius attrahant, quam Regulus ab eo cum quo conjungitur ſulphure

phure attrahitur, illum ab-hoc facile ſeparant.

VIRES acidorum in Antimonium crudum ſequentes eſſe expertus ſum.

ACIDUM VITRIOLICUM Antimonio in vaſe retorto adjectum, niſi adhibito calore, nihil fere agit; calore vero ad liquoris acidi ebullitionem adhibito, Regulus totus in calcem convertitur, dum maxima ſulphuris pars in ſublime tollitur, et vaſis collo adhaereſcit.

ACIDUM NITROSUM in Antimonium, nullo etiam adhibito calore, valide agit, et Regulum totum arripiens, in pulverem album mutat, dum ſulphur inde ejectum, forma ſibi propria per liquorem diffunditur.

ACIDUM

Acidum muriaticum concentratum Antimonio adjectum, Regulinam ejus partem omnino ſolvit, relicto ſulphure, colore ex ſubfuſco flaveſcente. Norunt autem Chemici hoc non fieri, niſi acidum muriaticum rite concentratum applicetur. Quo hoc fiat, acidum aliis rebus quibuſdam conſociatum adhibetur, et inde nititur operatio ea vulgaris, et ſatis quidem accommodata, quae per additum mercurium ſublimatum corroſivum fit. Acidum enim muriaticum ab Antimonio fortius attractum, quam ab iis quibus prius conjunctum erat, inde valde concentratum, et fumi plerumque forma expellitur.

In hac operatione Antimonii Regulus acido muriatico conjunctus, forma liquoris

quoris craſſi, qui proinde BUTYRUM ANTIMONII appellatur, in excipulum primum tranſit, et poſtea ſulphur hydrargyro conjunctum, ſub forma CINNABARIS, ſublimatur. Hic, licet a cinnabari vulgari vix quicquam diſcrepans, CINNABARIS ANTIMONII, appellatur.

NULLUM acidum ſimplex partes Antimonii a ſe invicem ſeparat adeo accommodate ac compoſitum illud AQUA REGIA dictum. Hicce enim liquor Antimonio adjectus, Regulum totum prompte ſolvit, et a ſulphure ſeparat, ita ut Regulus ſolutus totus effundi poſſit. Cavendum tamen, ne in aqua regia nimis abundet acidum nitroſum; per hoc enim aliquid Reguli in pulverem minime ſolubilem mutatur, quod

defuſo

defuſo liquore cum ſulphure reſtat. Quo hoc vitetur, praeſtat acidum muriaticum ſolum, Antimonio primum affundere, et dein guttatim acidum nitroſum ab acido vitriolico purgatum, quantum ſufficit ut liquor in Antimonium ſatis valide agat, adjicere; et plerumque parvam omnino acidi nitroſi quantitatem neceſſariam eſſe, comperi.

Sicut alia, etiam ACIDA VEGETABILIA, ſi modo paulum concentrentur, in Antimonii Regulum utcunque agunt, ſed nequaquam adeo valide, ut a ſulphure ſatis commode ſeparetur. Ipſe Geoffroy (*a*) ſecutus, quid tartarus in Antimonium crudum facere poſſit, ex-

(*a*) Loco ſupra citato.

periri

periri volui. Antimonii igitur crudi triti unciae, cryſtallorum tartari uncias tres, et ſimul aquae diſtillatae libras quatuor adjeci, per horas duodecim decoxi, aquam ſemper novam, ad exhalatae locum ſuppeditandam, adjeci, et ſoluta, humoris exhalatione ad ſiccitatem perduxi. Periculo facto, tartari pondus ſcrupulo adauctum inveni, quod incrementum totum forte pro Regulo vere haberi poteſt.

Olim Geoffroy ex tartaro cum Antimonio decocto, ab adjecto fluxu nigro quod vocant, Reguli aliquantillum recuperavit.

Hujus quoque loci eſt, cum ſcilicet ad acidi vegetabilis in Antimonium vim ſpectet,

ſpectet, obſervationem referre a LEMERIO (*a*) patre olim factam, nempe, ab ingeſto Antimonio crudo, magnas ſemper concitari turbas, ſi vel ructus abundantiam acidi in ventriculo indicaſſent, vel ſi poſt Antimonium acetum datum fuiſſet.

(*a*) Traité de l'Antimoine, p. 5 et 11.

CAPUT II.

De Regulo Antimonii.

REGULI ANTIMONII dotes omnes recenſere tum noſtrarum virium, tum diſſertationis hujus limites longe excederet. Hiſtoriae ejus chemicae igitur partes eas tantum, quae ad rem pharmaceuticam maxime pertinent, attingere conſtitui.

AD rem pharmaceuticam maxime pertinent Reguli CALCINATIO, et cum ACIDIS conſociatio.

PRIUS autem quam de alterutra dicam, haud alienum erit monere, accuratiſſimum (*a*) MARGRAAFFIUM de Re-

(*a*) Loco ſupra citato.

gulo

gulo ea puritate parando, qua ad uſus medicos adhiberi decet, optime ſcripſiſſe, ſimulque Reguli puriſſimi notas indicaſſe. Hae notae ſunt; ſplendoris metallici albeſcentis nitor, molecularum parvitas, compagis durities, et ductilitas quaedam, gravitas ſpecifica major, in aqua regia ex toto ſolubilitas, et denique cum hydrargyro facilis et ſimul permanens amalgamatio.

Hujusmodi Regulus in fruſta minuta contritus, vaſe aperto, igni modico, et minori ſemper quam qui ad fuſionem ejus ſufficiat, expoſitus, fumum exhalat et continuato igni in pulverem ſive calcem ſubcineritium, ſplendore metallico prorſus orbatum, tandem fatiſcit. Sub hujus calcinationis initiis Regulus ſui,

ponderis aliquantum amittit, (*a*) calcinatione autem prorſus peracta, pondere ſemper adaucto deprehenditur. Si Regulo calcinato ignis fortior adhibeatur, ut liqueſcat, poſt liquefactionem refrigeratus, in vitrum coit, varium, pro gradu calcinationis quae prius adhibita fuerat. Poſt modicam enim calcinationem, vitrum eſt diaphanum, coloris hyacynthini et acidis facile ſolvendum; poſt diuturniorem autem calcinationem, opacum albidum, et nullo acido ſolubile evadit.

Hujusmodi calcinationes et vitrificationes etiam cum Antimonio crudo in-

(*a*) Huxham on Antimony, p. 59. Collection Academique, vol. 8. tiré des actes de Copenhague, obſerv. 72. année 1763, per Olaus Borrichius.

ſtitui

ſtitui poſſunt, et vitrum Antimonii, quod in uſus medicos paratur, plerumque ex eo, poſt modicam calcinationem, fit. Antimonium crudum etiam, nitro, ut ſupra diximus, adjecto, in pulverem fatiſcit, qui per fuſionem in vitrum protinus mutatur. Item acida foſſilia omnia Regulum Antimonii ita mutant, ut ex iiſdem praecipitatus per fuſionem in vitrum facile abeat. Hujus vitrificationis ratio adhuc obſcura eſt. Videtur omnino Regulus Antimonii compoſitum eſſe ex quo partem quandam abigere opus eſt, ut reſiduum ad vitrificationem diſponatur; ſed cujuſmodi indolis eſt pars illa abigenda, non liquido conſtat. Dixerunt chemicorum plerique illam phlogiſton eſſe, et an hanc appellationem mereatur, necne, nunc dicere

nolo; ſed rem aliter diſpici poſſe opinor. Metallicis pleriſque aërem quendam ſubeſſe, qui vi ignis abigi poſſit, ſuadet efferveſcentia, ſive fluidi elaſtici ex metallicis ab adjecto acido excuſſio, quae ex eorundem calcibus ab iiſdem acidis adjectis, nequaquam fit. Porro aërem, et certae quidem indolis, in metallicis haerere, experimentum ſequens, ni fallor, oſtendit. Limaturae plumbi ſi adjiciatur ſal ammoniacus, et miſtum ſublimatione tractetur, exſurgit ſal volatilis alkalinus, facie cryſtallina, et cum acidis quibuſvis efferveſcens. Si vero plumbi calci, ſive minio, ut hodie vocant, adjiciatur idem ſal ammoniacus, et miſtum diſtillatione tractetur, exſurgit ſal volatilis alkalinus, liquidus autem, et cum nullo acido efferveſcens.

Ex

Ex quibus verosimile videtur, aërem metallicis subesse, et aërem quidem ejusdem indolis quem in salibus alkalinis, terris calcareis et magnesia alba saepe subesse invenit Chemicus expertissimus (*a*) Josephus Black, et ejusmodi aërem esse, quod ex Regulo Antimonii excutere oportet, ut in vitrum abeat, nullus dubito. Neque eundem aërem in metallicis quibuscunque adesse dubium videtur, cum metalla, vel acidis, vel vi ignis, aëre et simul metallica facie spoliata, hanc iterum facile induant, si adjiciantur alio metallo, quod vel acidum fortius quam metallum corrosum, vel aërem debilius quam metallum calcinatum attraheret. Hanc rem autem vel leviter attigisse sufficiat, cum plenius et

(*a*) Essays physical and literary.

dilucidius eandem exponere, huic loco non conveniret.

Expensis nunc Reguli calcinatione et vitrificatione, de viribus acidorum in eundem dicere, nunc nos accingimus.

Ad Reguli Antimonii triti unciam dimidiam, acidi vitriolici bene concentrati uncias quatuor affudi. Dum nullus calor acceſſit, nulla efferveſcentia, nec ſolutionis indicium apparebat; calore autem ad ebullitionem liquoris adhibito, efferveſcentia vehemens orta eſt, exſpirabat acidi vitriolici volatilis odor, et mox Regulus omnis in pulverem album converſus conſpiciebatur;

batur; refrigerato liquore, ad fundum ejus Regulus omnis corroſus deprehenſus eſt, nec quiquam fere hujus in liquore detinebatur; nam eo defuſo, neque ab aqua affuſa, neque a ſale alkalino adjecto, quicquam dejiciebatur.

EJUSDEM Reguli unciae dimidiae ACIDI NITROSI uncias quatuor adjeci, et nullo etiam calore adhibito, oriebatur efferveſcentia vehemens, ſub qua Regulus omnis cito in pulverem album converſus eſt. Hic, ut in altero experimento, nihil Reguli in liquore ſuſpenſum inveniebatur.

AD Reguli porro unciam dimidiam ACIDI MURIATICI uncias quatuor adjeci, et mox oriebatur, nullo adhibito colore,

calore, efferveſcentia inſignis, quae ſubinde ceſſans, et agitatione renovata, per dies aliquot conſpiciebatur. Cum prorſus ceſſaverat, Regulus ad pondus duarum drachmarum, et totidem ſcrupluorum, neque corroſum, neque ſolutum, reſtabat, et ex liquore ſupernatante, affuſa aqua, dejiciebatur MERCURIUS VITAE, ut vocant, ad drachmae pondus; et adjecto demum ſale alkalino, ad drachmae dimidium, materia ſubſedit.

QUAMVIS ex hoc experimento ſatis conſtat ab Acidi Muriatici unciis quatuor haud amplius quam Reguli drachma et ſcrupulus unus ſolvi poſſe; adjecto tamen Muriatico, Nitroſi Acidi argento purificati aliquantillo, Regulus

ad

ad ſemunciam, cum efferveſcentia ingenti prompte ſolvitur, et in liquorem totus tranſit. In hunc finem non niſi Acidi Nitroſi parva copia Muriatico addi debet, nam ſi tantum addatur quantum ab Cl. MACQUER (*a*) praeſcriptum eſt, multum Reguli ſemper in pulverem inſolubilem corroſum invenitur.

ACIDA denique VEGETABILIA in Regulum Antimonii parum omnino agunt. Eidem quidem affuſa vi emetica imbuuntur, nec tamen partem ejus ſenſilem ſolvunt. Tartarum cum Regulo Antimonii, affuſa multa aqua, per plures dies, decoxi, nec tamen Regulum, niſi minima copia ſolutum et tartaro

(*a*) Vol. II. Proc. V. Chap. I.

con-

conjunctum, inveni. Ex hiſce igitur liquet, quod ſi Antimonii partem regulinam cum acidis vegetabilius conſociare velimus, oportere omnino ut haec acida Antimonio calcinato vel vitrificato applicentur, nam in Antimonium modice calcinatum, et poſt modicam calcinationem vitrificatum, multo validius quam in Regulum purum agunt.

PARS

PARS TERTIA.

Historia Antimonii Pharmaceutica et Medica.

CAPUT I.

In tractationem Antimonii Pharmaceuticam animadverſiones.

CUM apud Chemicos et Medicos omnes jam convenit, Sulphur quod Antimonio Crudo ineſt, nihil ſibi proprium habere, vires ideo Medicinales, quotquot ſint, Antimonio proprias, a parte ejus regulina omnino pendere, neceſſum eſt. Haec autem pars regulina, ſicut unaquaeque alia res metallica, niſi in ſtatum ſalinum converſa fuerit, in

corpus

corpus humanum non agit; nullum enim metallum niſi in ſtatum ſalinum jam converſum, vel ab acidis vegetabilibus ſolubile, et hiſce in ventriculo occurrens, vires quaſcunque in corpus humanum exerit. Tractatio igitur Antimonii Pharmaceutica omnis eo tendit, ut vel in ſtatum quo ab acidis vegetabilibus, et proinde ab iis ventriculi certius et promptius ſolvatur, vel in ſtatum omnino ſalinum, adjectis antequam ingeratur acidis, convertatur. Hinc Antimonii praeparationes omnes ad bina capita referri poſſunt; et quomodo ſingulae earum ad haec ſe habeant, ex ſequenti tabula luculenter patebit.

TABULA.

TABULA.

Ex Antimonio parata sunt, in quibus,

I. Regulus nullo Acido conjunctus.

1. Regulus varia proportione cum ſulphure conjunctus.

A. Antimonium Crudum.
Tablettes de Kunkel.
Morſuli reſtaurantes Kunkelii.

I. 1. B. Regulus Medicinalis.
Febrifugum Craanii.
Magneſia opalina.
Panacea Antimonii.

C. Kermes Minerale.
Poudres de Chartreux.

Sulphur

Sulphur Antimonii fixum, Stabelii.

Tinctura Antimonii Tartarisata.

D. Sulphur Auratum Antimonii.
Sulphur Praecipitatum, Pharm. Lond.

2. Regulus Sulphure privatus.
A. Regulus Antimonii simplex.
Regulus Martialis.

3. Regulus Calcinatus.
* Sine addito.
A. Antimonium Incineratum.
B. Vitrum Antimonii.
a. Vitrum Antimonii ceratum.

** Addito Nitro.
A. Crocus Antimonii Mitis.

B. Crocus Metallorum.

Crocus Antimonii, Pharm. Lond.

Hepar Antimonii.

I. 3. C. Emeticum Mite, Boerh.

Pulvis Jacobi dictus.

Pulvis Febrifugus, Nosocom. Reg. Edin.

D. Antimonium Diaphoreticum.

Calx Antimonii, Pharm. Lond.

Cerussa Antimonii.

II. Regulus acido conjunctus,

1. Acido Vitriolico.

A. Antimonium Vitriolatum, Werholf.

Mercurius Vitae Celestis, Klaunig.

2. Acido Nitroſo.

A. Bezoardicum Minerale.

3. Acido Muriatico.

A. Butyrum Antimonii.

Oleum Antimonii.

Cauſticum Antimoniale, Pharm. Lond.

B. Mercurius Vitae.

Pulvis Algaroth.

4. Acidis Vegetabilibus.

A. Sapa Vomitoria Sylvii.

II. 4. B. Vinum Emeticum.

Vinum Antimoniale, Pharm. Lond.

Eſſentia Antimonii, Huxham.

C. Tartarum Emeticum.

Tartarum Stibiatum.

Quod ad praeparationes haſce ſingulas ſpectat, vix neceſſarium erit, ut proceſſuum rationes apud auctores totidem chemicos reperiundos, hic traderemus. Animadverſiones tantum paucas proferemus, quibus indicare poſſimus quatenus encheireſes in libris traditae propoſito inſerviunt, et inter varios proceſſus apud chemicos deſcriptos, quiſnam maxime accommodatus cenſeri poſſit.

ANTIMONIUM CRUDUM.

Cum Regulus Antimonii multo ſulphuris conjunctus, vim acidorum vegetabilium, et praeſertim minus valentium, omnino fere eludat; Antimonium crudum ingeſtum ſaepe prorſus inters reſtat, et nullas vires in corpus hu-

manum oſtendit, uti pluribus experimentis compertum habemus. Antimonium crudum, autem, ut ſupra explicavimus, pro ratione ſulphuris quod ineſt, multum differt, et hinc fieri poteſt, ut, vel quod minus ſulphuris contineat, vel quod in ventriculo acidum fortius et majori copia offendat, aliquando medicamentum validum evadat. Simul autem patebit, idem in certum et infidum prorſus fore, nec eſſe ab eo exſpectandum, quod non facilius et certius ab ejus praeparatis quibuſdam obtineri poſſit. Si quis vero Antimonio crudo uti velit, ex maſſis conicis partem eam quae ad conorum apices eſt ſumat, et in pulverem tenuiſſimum contritum adhibeat. Hacce tri-

tura

tura autem opus eſt, non ut ſpicula retundantur, ſicut plures putant, ſed ut Stibium ita comminutum promptius ab acidis ſolvatur.

REGULUS MEDICINALIS.

Regulus Medicinalis, Kermes Minerale, Sulphur auratum, et Crocus Antimonii mitis, in hoc conveniunt, quod in ſingulis eorum pars ſulphuris quae Antimonio crudo ineſt detracta eſt, et inter ſe differunt tantum pro quantitate ſulphuris detracta. Haec autem major eſt, eodem ordine quo illa modo recenſui, minima, ſcilicet, in Regulo medicinali, maxima in Croco Antimonii miti; et prout major vel minor fuerit, eo facilius vel difficilius praepa-

ratum ab acidis ſolvitur, et medicamentum magis vel minus efficax evadit.

Quod ad Reguli medicinalis praeparationem ſpectat, quam plurimi proceſſus in hunc finem propoſiti ſunt; dum alii, Sulphur ab Antimonio crudo detrahendum eſſe, alii, Sulphur croco metallorum vel vitro Antimonii, adjiciendum eſſe, volunt; quam ineptum autem poſterius foret, vix opus eſt hic monere. Ad Sulphur ab Antimonio crudo detrahendum, complures viae excogitatae ſunt, per adjectum, ſcilicet, vel ſalem alkalinum, vel nitrum, vel alium ſalem neutrum; et quonam horum utamur, parum omnino refert, ſi modo ſalis qui adhibetur copia ea ſit, quae copiam ſulphuris eandem ſemper detrahat.

detrahat. Commodiſſime, ut mihi videtur, per adjectum ſalem alkalinum fieri poteſt, et an ſimul ſal marinus, ut vulgo ſolet, adjiciatur, necne, nihil referre puto. Sunt qui Regulum medicinalem per fuſionem ſulphuris aurati parandum velint, et hoc fuſum quidem in maſſam illi ſimilem coit; ſed indole et viribus idem ac antea perſtat, et a Regulo medicinali, ſtricte dicto, et ad normam pharmacopoeiae noſtrae facto, multum differt.

KERMES MINERALE.

Kermes Minerale, ut ſupra notavimus, vel per ſolutionem, vel per fuſionem, paratur; per modum autem priorem tum facillime tum accuratiſſime fit.

In parando Kermes minerali, an Nitrum fixum an alius ſal alkalinus fixus uſurpetur, parum referre arbitramur. Sal vero Tartari, utpote puriſſimus, caeteris anteponendus eſt. Ope calcis vivae Kermes minerale omnino ſimile illi quod ab aliis alkalinis, ſed minori copia, obtinetur. Ut Kermes minerale, diverſis temporibus paratum, ſimile prorſus ſit, praeſtare videtur, adhibita ſatis larga ſalis alkalini copia, per unicam potius quam per plures decoctiones, id parare.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Varii qui ad parandum collaudantur proceſſus vim ejus tantum eatenus afficiunt,

afficiunt, prout ſulphur Reguluſque diverſis rationibus commixta, praeſtantur; quanti momenti, in uſu medicinae, diverſae hae rationes ſint, adhuc in ambiguo eſt; ego tamen eas eſſe minimi momenti exiſtimo, optimumque proceſſum, ad ſulphur auratum efficiendum, eum eſſe puto, qui uſui facillime accommodetur, adeo ut, diverſis temporibus parata medicina, ſemper eadem eſſe poſſit. Cum ex ſcoriis, in ſeparando Regulo criundis, paratur, ſulphur auratum eo vitio quam maxime opportunum erit, ut ſcilicet vires ejus inaequales ſaepiſſime futuri ſunt. In ultima editione Ph. Ed. accuratior proceſſus indicatur. Si alkali qualitas, ſi liquoris in decocto adhibiti quantitas, et acidi menſura in praecipitatione adhi-

benda,

benda, accuratius, definerentur, profecto mihi videtur medicamentum ſemper ſibi conſtans effici poſſe.

CROCUS ANTIMONII MITIS.

Adhibitis diverſis nitri proportionibus Antimonio crudo, medicamentum cujuſque gradus medii inter Antimonium Crudum et Crocum Metallorum, obtinere poſſumus; at praxis medica varietatem hujuſmodi vix depoſcit, ideoque qualitatem Croci Antimonii Mitis propriam indicare omiſimus. A nitri copia hic adhibita ſulphur totum non ſeparatur, ideoque neque vitrificatio, neque calcinatio, ut proprie loquamur, hic obtinet; et ob hanc quidem cauſam de eo hic loci agimus, licet, in tabula praefixa, in loco diverſo ponatur.

REGU-

REGULUS SIMPLEX.

Quamvis Antimonii virtus medica, prout diximus, in parte metallica prorſus ſedem habeat, Regulus tamen purus rarius dari ſolet. Cum Reguli enim, aeque ac praeparationum hactenus memoratarum, vires in corpus humanum incertae, et, pro quantitate acidi in ventriculo latitantis, variae ſint; ſi hoc forte abundet, ab adhibito Regulo puro majus periculum fore, quam ab eodem ſulphure cooperto, ſuſpicandum eſt. Porro, cum Regulus purus eſt, ut ſupra diximus, in acidis vegetabilibus, minus prompte ſolvitur, adeoque ejus praeparatio et uſus nunc plerumque, non ſine ratione, praetermittitur. Jam etiam

etiam vulgo ubique innotuit, Regulum cum aliis metallicis paratum, non aliter a Regulo ſimplici differre, quam quod metalli adhibiti portio cum Regulo admiſci poſſit, et ſi quae Regulo eo modo compoſito inſint vires propriae, eas omnes, metallo admiſto, acceptas referri debere.

ANTIMONIUM INCINERATUM.

VITRUM ANTIMONII.

CROCUS METALLORUM.

Omnia haec ejuſdem fere indolis ſunt, cum in ſingulis efficiendis certus adhibetur calcinationis gradus, adeo ut, in acidis vegetabilibus diſſolubilia, ac proinde viribus ſuis exerendis apta reddantur.

dantur. Hinc in conſociatione Reguli, cum acidis vegetabilibus Chemici his praeparatis vulgo utuntur.

In Antimonio incinerato, et quodammodo in croco metallorum calcinationis gradus diverſus eſſe poterit, nec juſtum gradum ubique accurate adhibere facile foret. Hinc ex hiſce tribus vitrum antimonii merito praefertur, quia hujus rite parati notae certae habentur. Quo enim pellucidius, et coloris ſubrubri magis diluti eſt, eo praeſtantius haberi poteſt. Si vero color ſature ruber, et minor pelluciditas eſt, ex Antimonio juſto minus calcinato, factum fuiſſe oſtendit; et e contrario, ſi vitrum opacum omnino, et coloris lactei, Antimonium nimis calcinatum fuiſſe,

fuiſſe, et vitrum prorſus inſolubile fore, demonſtrat.

VITRUM CERATUM ANTIMONII.

Praeparationis hujus theoria parum obvia eſt. Vitrum ceratum medicamentum mitius eſſe quam vitrum purum omnes cenſent; num vero hoc fit, quod vitri moleculae, cruſta et quaſi vernice obducantur, vel quod vitrum cum cera tractatum quadantenus in ſtatum metallicum, et proinde minus ſolubilem, reducatur; vel denique, quod vitrum diutius in igne ſine fuſione detentum magis calcinetur, et proinde minus ſolubile evadat, vix liquido conſtat. Quod ad id autem quod ultimo loco innuimus hic notare juvat, nos

medicum

medicum quendam noviſſe, qui, cum vitrum ceratum mitius adhuc reddere cupiebat, idem, iterata cum cera calcinatione, prorſus inſolubile et iners reddidit.

Ad hanc quidem quaeſtionem ſolvendam, nulla experimenta inſtitui, cum vitrum ceratum medicamentum omnino infidum et incertum eſſe comperi, nec ab eo quicquid exſpectandum, quod non ab aliis ex Stibio paratis, certius et tutius obtineri poſſet, exiſtimem.

EMETICUM

EMETICUM MITE.

PULVIS JACOBI dictus, (Anglice, JAMES's Powder.)

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

IN nitro ad Antimonium crudum adhibendo, et in utroque ſimul deflagrando, experimentis conſtat, aequam nitri portionem, ſulphur diſſipando vel conſumendo, eae partium metallicarum calcinationi, quae eaſdem in vitrificationem proniores reddat, adeoque maſſae ejus vitrificatae effectioni quae Crocus Metallorum appellatur, occaſionem praebere. Calcinatione ea et vitrificatione id efficitur, ut Regulus ab acidis vegetabilibus facilius ſolvendo fiat; ideoque

oque per ſe medicamentum eximium, aliorumque fundamentum idoneum, evadat. Calcinatio autem ulterius producta Reguli diſſolubilitatem, ut ſupra demonſtravimus, deſtruit, et qui in vitrum pellucidum fundatur, ineptum reddit.

Quin etiam compertum habemus, calcinationem hanc ulteriorem, addito plus nitri, citiſſime peragi poſſe; et profecto videtur, ſi magis quicquid addatur quam nitri portio par, Reguli partem in calcem ſolvi neſcium, vertere. Certe vulgo ſatis conſtat a nitro triplici Regulum totum in calcem eum ab acidis non diſſolubilem commutari, qui nomine Antimonii diaphoretici diu innotuit. Num hoc iners ſit, necne, mul-

tum diſputatum eſt. Eae contentioni noſmet immiſcere non in animo eſt; cum abunde notum eſt, omnem materiam metallicam, quam acida ſolvere nequeunt, in humano corpore omnino eſſe inertem. Obſervandum vero, minore vi nitri adhibita, totum Regulum in calcem non abire, ſed partem in acidis diſſolubilem, adeoque efficacem manere poſſe.

Cum experimentum eo conſilio inſtituitur, ut totus Regulus in calcem commutetur, uſu comprobatur, nitri partes duas cum Antimonii unica commiſtas, proportionem eſſe minimam quae huic operi ſufficiat. Deflagratione curatiſſime peracta, calcem prorſus inertem ſaepiſſime comparavimus; minore

nore autem cura adhibita, Regulus totus non in calcem abit, ſed medicamentum, utcunque valens, aliquando conficitur, qualia ſunt EMETICUM MITE BOERHAAVII, et concelebris ille PULVIS FEBRIFUGUS, qui ad R. JACOBUM auctorem refertur. Ad hujus pulveris ſimilitudinem olim in Noſocomio Regio Edinenſi confecta medicina, ex duabus partibus nitri, cum una Antimonii, ſaepius efficax, non raro iners, evaſit. In eodem Noſocomio, medicamenti, cum ſeptem nitri, et quatuor Antimonii partibus, parati, vires ſemper fere validae, eaedemque ſatis innocuae compertae ſunt.

HACTENUS reperiuntur ea ex Stibio parata, quae ACIDIS NON CONJUNCTA

adhibentur, quaeque eo uſque tantum facultatibus pollent, quatenus ab acidis in ventriculo ſolvi queant; nunc ad ea tranſeundum eſt, quae prius CUM ACIDO QUODAM conſociari ſolent, quam in corpus ingerantur.

HAEC pro ſtatu partis metallicae, quibus acida applicantur, vel pro acidorum adhibitorum indole inter ſeſe diſcrepare putantur.

AD priorem quod ſpectat, Regulo vel ſtatu metallico, vel quodammodo calcinato, uti poſſumus. In pleriſque caſibus hic praeſtantior apparet, propterea quod calcinationis gradus quidam, Regulum ab acidis facilius ſolvendum reddit. Exiſtimamus autem, varios qui hic occurrunt proceſſus, ad pharmacopolam,

macopolam, magis quam ad medicum pertinere, ideoque omnes enarrare haud neceſſarium eſſe.

Majoris eſſet momenti, eam varietatem, quae ab acidorum diſcrimine pendet, exponere. Id ergo a nobis proxime aggrediendum eſt, et quo ea res accuratius tractetur, eo conſilio utendum, ut quid a ſingulis acidorum ſpeciebus efficitur, ordine expendamus.

ANTIMONIUM VITRIOLATUM.

Chemici, neque acidi vitriolici in Antimonium, nec utriuſque ſimul conjuncti in corpus humanum, vires olim perſpexiſſe videntur. Primus, ut mihi videtur, Klaunigius Uratislavien-

sis, in libro, cui titulus, Nosocomium Charitatis, anno 1718 edito, medicamentum ex iisdem confectum exposuit. Auctor est, ut acidum vitriolicum, Antimonio affusum, per distillationem abstrahatur, et ut affuso rursus acido cohobatio fiat; qua compluries iterata, vult, residuo affusum spiritum vini, iterum esse inflammatione abstrahendum. Quod demum supereſt, pro medicamento, ad grana duo adhibito utitur, et idem vomitum, alvum et sudorem leniter movere dicit. Pro remedio contra febrem quartanam impense laudat, Klaunigiumque secutus, idem in hoc morbo adhibuit clar. (*a*) Werholfius, et tametsi id morbum non omnino sanasse, vires tamen vomitum, alvum et

(*a*) Obs. de febribus, 1. 323.

sudorem

ſudorem eliciendi ei revera ineſſe invenit.

BEZOARDICUM MINERALE.

Multis diverſiſque viis nitroſum acidum cum Antimonio conjungi poteſt; inter eas autem ſelectum facere parum referret, cum quomodocunque id acidum conjunctum ſit, Antimonium noſtris humoribus prorſus inſolubile et iners reddat. Recte igitur in pharmacopoeis Britannicis hujuſmodi praeparatum prorſus praetermittitur. Sunt fortaſſe, qui ab aliis metallis Antimonio adjectis, et utriſque ſimul cum nitro tractatis, aliquid boni exſpectent. Sed quantum nobis videtur, effectus in Antimonium hic nequaquam variant. Si forte in hujuſmodi paratis facultates quaedam

perſpicerentur, eas omnes puto, acido nitroſo cum altero metallo conjuncto, haud immerito eſſe tribuendas.

BUTYRUM ANTIMONII.

MERCURIUS VITAE.

De Butyro ſive Oleo Antimonii parando nihil omnino iis, quae in pharmacopoeis noſtris traduntur, addendum habemus. Hoc oleum ex acerrimis cauſticis eſſe vulgo notum eſt, et proinde hactenus non niſi extrinſecus uſurpatum fuiſſe videtur. Interne tamen adhiberi poſſe, nunc ex experimentis, compertum habeo. Si enim aquae ſale ammoniaco ſaturatae drachmae, addatur gutta unica olei Antimonii, haec facile, et ſine praecipitatione quadam, per illam diffun-

diffunditur, et miſtura tuto deglutiri poteſt. Quid autem et quantum boni ingeſtum praeſtat, in eum locum differam, quo de viribus Antimonii medicis dicturus ſum.

Mercurius Vitae, propter acrimoniam, quae in ſolido ſemper plus habet periculi, apud noſtrates vix in uſu eſt; ope autem ſalis ammoniaci ſolutus et fluidus redditus, quantacunque doſi dari poteſt, tumque nullus dubito quin tutum ac utile medicamentum futurus ſit. Interim, ab affuſo aceto Mercurium Vitae magna ſatis copia ſolvi obſervandum eſt; qui hujus ſolutionis effectus ſunt, ab experimento ſequenti, in meipſo inſtituto, didici. Mercurii vitae drachmam in aceti unciis duabus

ſolutam

ſolutam deglutivi; deglutiendo aciditatem aceti non penitus deletam eſſe percepi, et poſt horae dimidium aegritudine, nauſea, bilioſo vomitu, corripiebar; quae omnia per horam adhuc dimidiam perſtiterunt. Quicquid vero de uſu Mercurii Vitae interno cenſendum ſit, hoc notatu dignum eſt, quod in pulverem tenuiſſimum tritus, et unguento cuivis blando ad ſuboctuplum admiſtus, in ulceribus mali moris ſanandis egregie conferre expertus ſum.

VINUM EMETICUM.

SAPA VOMITORIA.

TARTARUM EMETICUM.

Haec omnia ex Antimonio cum acidis vegetabilium conjuncto fiunt.

In Vino emetico quantitas reguli ſoluti parva admodum eſt, nam vel ex imminutione ponderis illius quod ad ſolvendum adhibitum fuerat, vel ex praeciptationi ſoluti, vix aut ne vix quidem, percipi poteſt. Vires ejus autem, pro qualitate vini infuſi, multum variant; hinc incertum eſt adeo, ut ex centum officinis vix in duabus omnino ſimile invenias.

Sapa vomitoria plerumque Vino Emetico valentior eſt, ob acorem vero quem retinet, quique cardialgiam ſaepe parit, minus commodus, nec immerito minus frequens, eſt ejus uſus.

Ex omnibus, quae ex Antimonio cum acidis vegetabilium juncta fiunt,

Tar-

TARTARUM EMETICUM maxime aequabile haberi poteſt. Cryſtalli enim Tartari ſui prorſus ſimiles ubique proſtant, et encheireſes adhibendae ſatis accurate, et ad eandem ſemper normam fieri poſſunt. Hactenus quidem a quoque fere pharmacopola diverſum et ab eodem diverſis temporibus diverſum paratum eſt, nec multum eſt curae impenſum, vel in cauſis diverſitatis perquirendis, vel ut iiſdem obviam eatur.

TARTARUM Emeticum, ut nobis videtur, ea tantum ratione differt, ut aliquando plus, aliquando minus, Antimonii cum Tartaro conjungatur. Haec diſſimilitudo autem facile vitatur, ſi detur opera ut Antimonii ſemper tantum, quantum fieri poteſt, Tartaro conjungatur,

gatur, vel, ſicut Chemici loquuntur, ut Tartarum ab Antimonio plene ſaturetur. Id vero imprimis attendere oportet, Vitrum Antimonii, et celerius et largiori copia quam Crocus Metallorum a Tartaro ſolvi; adeoque, quo ſolutio ſatura fiat, illud ad Tartarum Emeticum conficiendum, potius quam hoc, ſeligendum eſſe.

Proxime notandum eſt, quod ſive illud, ſive hoc adhibeatur, nullum eorum ex toto ſolvi, et utriuſque, prima ſolventis applicatione, plus ſolvi, quam in ſubſequenti quavis. Hinc in conficiendo Tartaro Emetico, Vitrum Antimonii, larga ſemper copia, ratione ad Tartarum habita, adhibere oportet. In Pharmacopoeia Edinenſi Cremoris Tartari

tari quantitas praeſcripta nimia mihi videtur, in Pharmacopoeia autem Londinenſi Croci Metallorum ratio ad Tartarum eſt juſtior omnino, at forſitan minor paulo quam quo opus eſt.

Porro, cum Tartarum et Antimonium juſta quantitate ſumantur, aquae etiam quantitas ſufficiens adjici, et coctio quoque longa inſtitui debet. Et hic obſervandum eſt, cryſtallos Tartari non niſi ad drachmas duas a ſingula quaque libra aquae bullientis ſolvi, adeoque, cum non niſi ſolutae in Antimonium agant, aquae ſatis magnam copiam ſemper affundere oportere; ſed cum tantum affunderetur, quantum ad totum Tartarum ſtatim ſolvendum neceſſarium foret, amplioribus vaſis opus

opus eſſet, plerumque paulo minus aquae ſufficiet, ſi modo ſatis diu continuetur coctio, et ad exhalatae aquae vices ſupplendas nova refundatur. Quid autem hic facit diuturna coctio ex eo facile intelligitur, quod Tartarum, uti per ſalum alkalinum et terram calcariam, ita per Regulum Antimonii ſibi conjunctum, magis ſolubile evadat, adeo ut aqua quae Tartarum quod primo ſolverit, in Tartarum Emeticum jam converſum tenet, continuo plus Tartari crudi ſolvere, et Antimonio ſolvendo aptum reddere, poſſit. Hinc continuata diu coctione commodius et rectius paratur Tartarum Emeticum. Ex his etiam liquet in Pharmacopoeia Londinenſi ad Tartarum Emeticum conficiendum, Tartari copiam forſitan juſto

juſto majorem; aquae copiam ſaltem multo quam oportet minorem, et coctionem nequaquam ſatis diuturnam, praeſcriptam eſſe.

Quae nobis demum, poſt plurima in hunc finem inſtituta experimenta, optima videtur Tartari Emetici parandi via, haec eſt. Sumatur Vitrum Antimonii rite confectum et in pulverem tritum in ratione ad cryſtallos Tartari ſeſquialtera; utriſque tantum affundatur aquae, ut ad ſingulam ſemiunciam Tartari ſit illius libra, et ſi Tartarum Emeticum ad libram, vel amplius, parandum ſit, inſtituatur coctio per horas ad minimum duodecim. Coctione peracta, per chartam coletur liquor, et denuo exhalet ad ſiccitatem. Cum hu-

juſmodi

juſmodi operatio rite proceſſerit, Tartari ſingulas uncias pondere ad tres drachmas auctas invenio, et ex cryſtallorum Tartari unciis octo Tartari Emetici uncias undecim obtineo.

Ex dictis jam colligitur, Tartarum Emeticum, pro diverſitate praeſcripti et encheireſios, facile diverſum evadere. Ut tamen aequabilior ſit, certe rei medicae quam maxime intereſſe cuivis patebit, ſaltem ſi quando de opera adhibita, et de indole Tartari Emetici confecti diſceptatio fiat, oportere omnino ad criterion quoddam revocare, quo de hac re certius, clariuſque conſtituatur. Ut id eruerent anxie contenderunt Chemici; et eorum labor omnis huc redit, ut quantum Reguli Antimonii Tartaro

Emetico ineſt, exacte praefiniant. In hunc finem ſi tantum aquae addatur quanto ad ſolvendum Tartarum opus eſſet, cura etiam adhibita, ut ſolutum totum per colum tranſiret, ex Tartari ponderis augmento quodammodo quidem de quantitate Reguli ſoluti, judicare poſſumus. Sed in hac re errores facile irrepere poſſe quis non videt, et ſi forſitan vitari omnino poſſent, ſolus tamen ipſe, qui Tartarum Emeticum confecerit, de eo ſic judicium ferre poteſt. Rectius igitur Clariſſ. Geoffroy, Tartarum Emeticum quodvis, adjectis unctuoſis et alkalinis, per fuſionem tractat, et ex quantitate Reguli educta de ea, quam prius ſolutam tenuerat, ſententiam fert: et recte quidem in arte chemica verſati hujuſmodi examen inſtituere poſſunt,

poſſunt, ſed tum operoſius eſt, et ex noſtris pharmacopolis pauci ſunt, qui id ſatis accurate conficere poſſunt. Contendendum eſt itaque, ut via facilior et clarior inveniatur, et in Tartari Emetici ſolubilitatis ſcrutatione quaerenda eſt.

Compertum enim habemus, Tartarum Emeticum eo facilius ſolvi poſſe, quo plus Reguli Tartaro conjunctum fuerit, et etiam pro ratione facilitatis qua ſolvitur, idem vires in corpore humano oſtendere, poſtea dicemus.

Cum igitur in ſolvendo Tartaro Emetico non ſolum de copia quae ineſt Reguli, ſed etiam de viribus in corpore humano, judicare poſſumus, quo

ejuſdem medicamenti vario modo parati facultates expenderem, experimenta quaedam inſtitui. Tartari Emetici ad modum ſupra memoratum parati, et in quo cryſtallorum Tartari uncia quaeque augmentum ponderis ad drachmas tres acquiſiverat, hujus, aio, grana quinquaginta duo in aquae frigidae, ſive temperiei aëris mediae, uncia, ſoluta inveniebantur. Tartarum autem Emeticum in officina ſive aula, ut vocant, pharmacopolarum Londinenſium paratum, non niſi ad grana triginta octo in eadem aquae quantitate ſolutum eſt. Tartarum Emeticum a Chemico quodam Londinenſi paratum, non niſi ad grana triginta duo ſolutum viſum eſt. Quod in noſtris officinis vulgo proſtat, a Chemicis plerumque Londinenſibus paratum,

paratum, minori adhuc copia ſolutum comperi. Denique id quoque quod jam dictum eſt, nempe Tartarum Emeticum, pro majori minorive ſolubilitate, facultates in corpore humano exerere, experimentorum fide nititur, et plura in hunc ipſum finem inſtituta ſemper idem comprobarunt.

Nec alienum erit hic monuiſſe, maximam quae homini adulto tuto dari poteſt doſin, grana eſſe tria Tartari ejus Emetici, quod eo modo paratur, quem fuſe ſuperius expoſui.

CAPUT II.

HISTORIA ANTIMONII MEDICA.

AD morbos tam varios depellendos Antimonium adhibitum eſt, ut primo intuitu operandi rationem, ſpecie adeo diverſam, ad principia quaedam ſimplicia et generalia revocare, difficile admodum videatur. Prius tamen quam ad alia progrediamur, quae hujus loci ſunt, hoc nobis tentandum eſt.

ANTIMONIUM ergo nullus in fluida effectus primarios edere, veroſimile videtur. Certe documentum ullum aut

obſervationem, qua aliquid ejuſmodi probari poſſit, ignoramus, nec parvula ea copia qua ut plurimum agit, fluida ita afficere poſſe exiſtimamus. Fluidis vero intactis, reliquum eſt ut in ſolida mutationes acceptas referamus. In ea tantum agere videtur, quatenus fibras motrices ſtimulat, eaſque maxime, quibus ſine interventu applicatur, et nonnunquam alias, quae cum his neceſſitudinem alunt.

Quomodo medicamenta ad corpus animale ſtimulandum aptentur, aut quamobrem aliud prae alio hac vi polleat, minime pro certo intelligimus; itaque quo pacto Stibium huic operi in primis aptum ſit, dicere haud audemus: hoc tamen pro rato habendum eſt,

eſt, ſingulas Stibii praeparationes valentes, ventriculum ſtimulando, cui primo applicantur, agere; idque in tam parva doſi, ut quaeque praeparatio, vi quam minima gaudens, VOMITUM eliciat. Hoc uſque adeo inter practicos conſtat, ut jam diu praeparationem conquiſiverint, quae alvum vel ſudorem abſque vomitu moveret; ſed, quantum nobis videtur, hactenus nec conſecuti ſunt, nec conſequi poſſe judicamus.

SED non ſolum ab Antimonio ventriculus primario ſtimulatur, et vomitio vel nauſea concitantur, ſed etiam effectus, ſi qui alii ſunt, in caeteris corporis partibus obvii; vel ex eo pendent, quod affectae partes cum ventriculo conſentiunt, vel quod Antimonium tali modo

modo datum erat, ut, vomitu vitato, medicamentum ultra ventriculum evehendi, et ad has partes applicandi, facultas erat facta.

Cum ergo Stibium parva adeo copia datur, ut vomitum facere non ſufficiat, tranſit per pylorum, et in inteſtina agit. Ut actio ejus igitur, ad ALVI SOLUTIONEM dirigatur, vel parva copia, et per ea datur intervalla, ut ante, primae doſi tempus ad inteſtina perveniendi concedatur, quam homo ſecundam deglutiat: vel praeparata ſolutu adeo difficilia eliguntur, ut ſucceſſive in ventriculo ſoluta, nunquam ibi ea quantitate adſint, qua vomitiones concitare poſſunt. Compertum ideo habemus, praeparata Stibii ſalina quam maxime ſolubilia,

bilia, praeſertim aquae conjuncta, celerius vomitum invitare, quam ea, ad quarum actionem requiritur, ut prius ab acido ventriculi ſolvantur. Hinc Tartarum Emeticum, aqua ſolutum, certius vomitionem concitat, dum idem, boli forma, ad ventrem reſolvendum accommodatior fit.

Medicis bene cognitum eſt, ſtimulantium effectus ad partes, quibus ſine interventu applicantur, haud limitari, ſed ad complures alias partes, majus vel minus evidenter pro natura ſtimuli conſenſu partium vel proprio vel generali, diffundi. Veroſimile videtur, Antimonium inter ea medicamenta eſſe, quae, dum in ventriculum agunt, in aliis corporis partibus

effectus

effectus ſatis notabiles edere poſſunt. Atque inde forte pendent ea quae uſu detexerunt clari viri, (*a*) PRINGLE et (*b*) BAKER, nempe, antimonialia emetica in febribus bilioſis dictis, et dyſenteria ea effeciſſe, quae ab ipecacuana effici non potuerunt. VIM Antimonii SUDORIFICAM explicare, ex principiis, ſupra poſitis, poſſe opinor. Cum enim Antimonium pro ſtimulo generali habendum ſit, a quibus omnibus ſudorem elici poſſe ſatis conſtat; cum etiam conſenſus proprius ventriculo cum cute intercedat, cum ſudor eo tempore plerumque fluat, quo ventriculus manifeſte ſtimulatur; cum effectus citius pateant, quam Antimonium per omnes corporis partes diffundi poteſt; cum denique copia data adeo

(*a*) Diſeaſes of the Army, p. 276.
(*b*) De dyſenteria, p. 26.

parva

parva ſit, ut cum tota fluidorum maſſa commixta, vix quicquam agere poteſt, certe hanc opinionem inconſulto foviſſe, vix mihi videor.

Ex dictis facile intelligitur, VIM Stibii DIAPHORETICAM, ſiquidem ſudoris eliciti rationem recte conſecuti ſimus, ad cauſam conſimilem, ſed minus validam, referri debere.

JAM de Stibii effectibus praecipuis, quique maxime vulgares et manifeſti ſunt, diximus; nempe de ejus EMETICA, CATHARTICA, SUDORIFICA, et DIAPHORETICA. Si qui alii ſunt effectus, magis dubii ſunt, et explicatu difficiliores.

URINAM aliquando movet, ſed raro, nec veri admodum ſimiles videtur, eam

Stibii

Stibii quantitatem, quae plerumque datur, cum tota ſanguinis maſſa confuſam, iterum in renibus ea copia coire poſſe, quae effectus perſpicuos edere queat; hoc tamen fieri poteſt, ſi praeparatum ſalinum eximiae acritatis datur, praeſertim dum uno eodemque tempore alia ſalina adhibentur. Certe Butyrum Antimonii cum ſolutione ſalis ammoniaci conſociatum, ſaepius urinam moviſſe, uſu compertum eſt, et alia quoque ſalina partitis vicibus data, ut neque vomitum, neque alvum moveant, conſimili vi pollere, haud alienum videtur. Tartarum Emeticum ſolum raro diureticum fuiſſe inveni, ſed experimenta in aeſtate, et cum ſudor plerumque proliciabatur, inſtitui.

Alius tantum Stibii effectus notandus reſtat, vis nempe EXPECTORANS; quae quidem, praeſertim in Kermes Minerali, apud medicos Gallos plerumque, magnopere concelebratur: aliquid certi de hac re ſtatuere, ex propriis experimentis, non licet. Sed parvula ea quae datur copia, vix, ut nobis videtur, in bronchias directe agere poteſt, et ſi re vera vis expectorans locum habet, eam, in febribus ſolummodo, vel quatenus Stibium ſudorem elicit, compertam fuiſſe credimus.

De omnibus nunc diximus Antimonii viribus, quae vel vulgo ſe manifeſtant, vel apud practicos memorantur. Proximum eſt, ut exponamus, qua ratione, medicamentum his viribus imbutum, reme-

remedium quorundam morborum evadere poſſit.

Vomitum eſſe remedium admodum univerſale, inter omnes pro rato habetur, idque eo magis minuſve fore, quo effectus minus magiſve per corpus diffunduntur, veriſimile videtur. Ea vi qua vomitiones exigit, Stibium quamplurimis morbis mederi videtur. Num eadem facultas omnibus emeticis communis ſit, cum nihil ad rem pertineat, non hujus loci eſt notare; interim nunc in animum induximus, de Stibii facultatibus in his morbis dicere, qui vix ab aliis emeticis depelluntur, quaeque Stibio in ventriculum agenti haud vulgo tribuuntur.

INTER eos primum locum tenet FEBRIS.

Ex quo Stibium primo interne datum fuit, id inter valentes febrium curationes ſemper recenſeri, omnibus in confeſſo eſt. Et quamvis plurimum de laudibus, quibus Chemici arcana ex eo parata cumulabantur, trahendum eſt, certe, quandoque magno emolumento adhibitum fuiſſe fatendum, et quidem in febribus inſigniter prodeſſe poſſe, inter hodiernos ſatis conſtat.

CUM vero Stibium et vomitum et alvum ſolicitet, omnem facultatem in bilis noxiae expulſionem contulerunt medici, et multam quidem partem conferre oportet. Omnes tamen ejus ef-

fectus perperam in humoris pravi ejectionem derivantur, cum ſaepiſſime humoris nihil, aut exigua ſaltem portio, re vera ejicitur. Certe in febribus hujus regionis inflammatoriis, et in RHEUMATISMO eximium remedium compertum eſt; ſed tamen neque in iis, neque in febribus inflammatione topica ſtipatis, quarum cura probabilis haberi poteſt, de bilis noxiae expulſione ne quidem cogitare licet. De alia igitur agendi ratione, quaeque omnibus febribus magis communis ſit, cogitandum eſt. Quaenam autem haec agendi ratio ſit, haud ita ex facili detegitur; vis diaphoretica, quam ex Stibio in ventriculo agenti ducendam demonſtravimus, fortaſſe ea eſt, a qua febrium curationes

ab

ab Antimonio perficiuntur. Quo autem haec actio accuratius expenderetur, neceſſe foret in febrium naturam, et medicamentorum in ventriculo agendi modum, latius inquirere. Quantis autem difficultatibus, qui eam rem indagaturus eſt, circumventus foret, quantumque limites, ingenii noſtri diſquiſitio talis excederet, omnibus in proclivi eſt.

Satis eſt dixiſſe, eum febrium certum remedium comperiri, ad quam rem probandam ad experimenta provoco, in Noſocomio capta. Ibi vomitum, alvum, ſudorem, vel urinam moviſſe, viſum fuit.

Novissime, Tartarum Emeticum datur parva quantitate, et iteratis vicibus, ea ratione, ut nauſeam abſque vomitu creans, ſudorem certius concitet. Cum ſudor elicitur, ſaepiſſime per horas quaſdam liberrime fluit, et eo ceſſante, cutis per longum tempus humida manet, aliquando et alvus, poſt horas aliquot, bis terve leniter ducitur. Durante jam prima in ventriculum actione, pulſus ſaepiſſime frequentior redditur, jactatio et delirium augentur, atque poſt temporis aliquantulum, praecipue ſi ſudor liberius effunditur, ſomnus furtim obrepit; hoc finito, minus frequens fit pulſus, atque aut mitius evadit, aut omnino ceſſat delirium: atque eo ordine plerumque, in FEBRIBUS

CON-

continuis, effectus ejus ſeſe manifeſtant.

In febribus intermittentibus, ante paroxyſmum datur, eo animo, ut nauſeam et ſudorem, ut ſupra, concitet, et plerumque proximum paroxyſmum differt mitigatque, nonnunquam febres, quarum circuitus irregularis eſt, et quos neque ſudor, neque apyrexia conſecuta eſt, in ordinem redigit; nec dubito, fore nonnullos, in quibus Antimonium totum morbum fugaturum ſit.

Id ex Stibio paratum, quod febrium curationibus accommodatiſſimum eſt, adhuc quaeritur. De omnibus, in ea ſumus opinione, ut tantum virium ratione, vel agendi conſtantia, inter ſe in-

vicem diſcrepent. Nihil ergo in Pulvere JACOBI dicto, ſpeciale ineſſe concedimus, omnibuſque incommodis quae iis propria ſunt, quae per calcinationem, nitri ope, perficiuntur, affici putamus. Quamvis aliquamdiu magno fructu adhibitum, nihil de ejus facultatibus pro certo comperiri potuit: ſemper inconſtans evaſit, et quamvis quandoque egregii remedii vicibus functus eſt, nunquam tamen effectus edidit, quos non ex Tartaro Emetico certius ſperare licet.

DE Antiquartzio dicto RIVERII, cui inerat Mercurius Vitae, ob experimentorum defectum judicium ferre vix poſſumus. Haud tamen alienum eſt obſervare, Stibium in febribus bilioſis, vel continuis vel intermittentibus, magis

gis univerſe profuiſſe quando alvum leniter eduxiſſe viſum eſt. Hinc forte Pulveri Cornachini Scammonium, Pulveri Jacobi Praecipitatum Mercurii Rubrum, Riverii Antiquartzio Colomelas, et Emetico Tartaro Glauberi ſal adjectum. Caeteris forte additamentis opus eſt; Tartarum tamen Emeticum, ni fallor, ſolum nec aliis commiſtum, rariſſime alvum non eliciet.

De Vino Antimoniali, quod a Cl. Huxhamo tam magnopere concelebratur, id notandum eſt quod antea innuimus, illud ſemper eſſe incertum et infidum, rariſſime apud pharmacopolas ſui ſimile proſtare, nec alvum nec ſudorem

moveri certius vel conſtanter adeo ac Tartarum Emeticum, viſum fuiſſe.

Atque haec de Stibii in febribus uſu dicta ſunto.

De Stibii in Dysenteria effectu nunc dicendum eſt. Ex quo in hoc morbo ſanando Ipecacuanhae fama percrebuerat, et res fuerat comprobata, in promptu erat alia quoque Emetica, et praeſertim quae ex Stibio fiunt, adhibere: nam Ipecacuanham in hoc morbo nulla vi ſpecifica, quod vocant, vel aliter quam in ventriculum, inteſtina, et partes hiſce conſentientes agere, pro certo habemus. Quomodo autem Emetica Dyſentericis ſubveniant, inter medicos vix conſtat. Quod vomitum vel alvum ciendo materiam morbificam pur-

purgare, et proinde multum conferre poſſunt, nemo non videt; ſed cum parvula doſi data, et nec vomitus nec dejectiones moventia, Dyſenteriam, ut ſaepe vidimus, ſanant, reliquum eſt ut de alia agendi via excogitemus; et cum de facultate Stibii diaphoretica certiſſime adeo conſtituatur, forte ea ibi invenienda eſt. In Dyſenteria enim perſpirationem cutaneam ſuppreſſam eſſe, et humores conſertim inteſtina verſus confluere, vix diſputatur; et hunc morbum, pro febre in inteſtina converſa, perſpicacem SYDENHAMUM habuiſſe, ſatis notum eſt. Utcunque igitur e contagio ortam fuiſſe, et a materia quadam morbifica continuatam eſſe, Dyſenteria putetur; certum tamen eſt, humoribus verſus cutem fluere impeditis,

tis, et ideo ad inteſtina pulſis, magna ex parte referri debere. Medicamenta ergo quae humorum iter in cutem convertunt Dyſenteriae mederi poſſe in proclivi eſt, et ejuſmodi Ipecacuanham eſſe credimus. Quod ſi vi diaphoretica hic agit Ipecacuanha, magis adhuc ſtimulo valentiori pollens Stibium, conferre debet, et revera magis conferre probant Cl. BAKERI experimenta, et quodammodo etiam noſtra. Num id, cujus uſus in hoc morbo maxime concrebuit, Vitrum Ceratum, caeteris ex Antimonio factis, recte anteponatur, multum dubito. Vitro ſimplici minore copia ſolvi et tardius, ſuperius dixi, et licet ob id ipſum, tum diaphoreticum, tum catharticum, certius fiat, tamen cum facultas, ab ratione acidi quod ven-

ventriculo ineſt, pendeat, effectus modo nimii, modo nulli ſunt. Tartarum itaque Emeticum in ejus locum certius tutiuſque ſubſtitui poſſe putamus, et quidem pluribus experimentis jam comprobavimus.

Ut in Dyſenteria, ſanguinis et humorum iter in inteſtina converſum intercludit Stibium, et aliorſum flectit, ita in aliis morbis impetum ſanguinis, in parte quadam auctum, ab eadem avertere poteſt. Hinc, in Haemorrhagiis uterinis, plurimum valuiſſe Vitrum Ceratum, multis obſervationibus, conſtat; et alia quae ex Antimonio ſunt, praeſertim Tartarum Emeticum, idem efficere, et rectius adhiberi, minime dubitandum eſt. De materia autem

autem morbifica in haemorrhagiis expellenda vix cogitari poteſt, et Antimonium agere, circuitionem ſanguinis aequabilem reddendo, veriſimilius videtur.

Non huic operi alienum eſſe arbitror, hic, quaſi in tranſcurſu, innuere, in Dyſenteria, et etiam haemorrhagiis, Stibium, addito opio, forſitan inſignius profuturum eſſe. Jam inde enim, ab eo tempore quo Pulvis Doveri publici juris factus eſt, Medicis innotuit, Emetica et Opium invicem mutuo ſibimet ipſis eſſe auxilio, et medicamentum efficere, quod ſudores uberrime ducat, et in quo conjuncta, multo largiori doſi quam ſingula, adhiberi poſſunt. Eo experimento innixi,

Opium

Opium etiam cum Vino Antimoniali, egregio fructu, commiſcuerunt Medici; et nil obſtat, quin in hujus locum ſufficiatur Tartarum Emeticum, emolumento forte conſimili vel majore.

Quo facultas Antimonii Diaphoretica plenius eluceſcat, quid in CUTIS ipſius valetudinibus valeat, nunc exequar. Cutis multis et variis morbis obnoxia eſt, quorum non ſolum cauſae plerumque in obſcuro poſitae ſunt, ſed et vel de nominibus parum conſtat, adeo ut eos, quibus Antimonium potiſſimum medeatur, vix expendere liceat; ſatis eſt igitur notare, multiplicem experientiam, et aliorum et noſtram, eviciſſe, quamplurimos cutis morbos ab eo fuiſſe ſanatos. Quum vero id ab

his

his effectum fuisse compertum sit, quae nec vomitus moverunt, nec alvum nec urinas; quum supra demonstratum sit, Stibium in fluidis mutandis nihil admodum valere; reliquum est, ut curationes, si quae sint, in perspirationem auctam conferamus, qua vel sanguinis iter in cute clausum aperitur, vel pravi humores eo ducti e corpore expelluntur. In cutis vitiorum curationibus adhiberi solent ea ex Stibio facta, quae cum acidis non conjunguntur, Regulus nempe Medicinalis, Kermes Minerale, Sulphur Auratum, et alia id genus, quae ventriculum tarde sollicitant, et diaphoretica facilius fiunt. Aurato Sulphure optimo consilio Cl. PLUMMERUS Mercurium Dulcem consociavit, nam dum Stibium Hydrargyri effectus

fectus tutiores reddit, et id ad cutem ducit, hoc viciſſim illius facultatem ſudores eliciendi intendit. Haec tamen omnia, ut ſaepius jam diximus, ſunt incerta, et quocunque modo data, vel ſingula, vel Hydrargyro commiſta, poſthabenda ſunt iis quae ex Stibio cum acidis efficiuntur. Eam rem ratione non tantum conſequimur, ſed et uſus oſtendit, Vinum Antimoniale, Emeticum Tartarum, et Oleum Antimonii, in cutis morbis inſigniter profuiſſe. Ad haec Hydrargyrum cum his accommodatus conſociandum putamus, eoque forte fore arbitramur, non ſolum Hydrargyrum Stibio in cutis vitiis medendis opem laturum, ſed et hoc invicem Hydrargyro in Lue Venerea, aliiſque

iſque multis morbis, valentiſſimo auxilio futurum eſſe.

Inter Luis enim Venereae curationes diaphoreſis aucta, via explorata ſatis, ſaltem commodiſſima morbum tollendi habetur, ſed eam non niſi per acerrima Hydrargyro parata prolici poſſe, ex uſu compertum eſt. Quod ſi igitur mitiori cuidam ex Hydrargyro facto, quo id in cutem pelleretur, adhibeamus Stibium, ſic remedium Luis Venereae accommodatiſſimum inventuros haud aliena, ut videtur, ratione ſperamus. Compoſitio quae in eam rem maxime opportuna futura ſit, forte eſt ejus cum acidis vegetabilium ſolutio, quod ex Hydrargyro prius cum Acido Muriatico

tico conſociato, ab addito alkali, fundum petit.

Nihil nunc video quod hiſtoriae Antimonii Medicae addendum habeo; et cum egregiis adeo facultatibus polleat, et vomitiones, alvum, ſudores et urinam ita inſigniter cieat, vix mirum eſt, Chemicos, parum forſitan veritatis ſtudio ductos, Antimonium pro remedio univerſali, ſi tale quid daretur, glorioſe habuiſſe.

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM